uitare lasciuiam; maria etiam salutationem angeli uerebatur;
Erat tamen cogitans inquid qualis esset haec salutatio; Et ideo cum
uerecundia qua pauebat; Cum prudentia qua benedictionis
nouam formulam mirabatur quae nusquam lecta, nusquam ante comperta;
ET AIT ANGELUS EI; NE TIMEAS MARIA INUENISTI ENIM GRATIAM APUD DOMINUM;
Quam salutatione insolita utpote quae ei soli seruabatur uiderat
turbatam; quasi familiarius notum uocans ex nomine; ne timere
debeat iubet; et quia gratia plenam uocauerat eandem gratiam astruit
plenius et uberius explicat dicens; ECCE CONCIPIES IN UTERO.
ET PARIES FILIUM ET UOCABIS NOMEN EIUS IHM;
Ihs saluator siue salutaris interpretatur; cuius sacramentum nomi
nis adloquens ioseph angelus exposuit. Ipse enim inquiens saluum
faciet populum suum a peccatis eorum. Non ait populum isrt sed populum
suum; Hoc est in unitatem fidei ex praeputio et circumcisione uocatum;
quibus ex diuersa parte congregatis fieret unum ouile et unus pastor;
HIC ERIT MAGNUS. ET FILIUS ALTISSIMI UOCABITUR; ET
DABIT ILLI DNS DS SEDEM DD PATRIS EIUS;
Dictum est et de iohanne; quia erit magnus; sed ille magnus quasi
homo magnus; hic quasi ds magnus; Ille enim magnus coram dno; hic
autem erit magnus inquit et filius altissimi uocabitur; Idem ergo fili
us altissimi qui in utero uirginali conceptus et natus est; Idem homo
in tempore creatus ex matre; qui ds est ante tempora natus ex patre;
Si autem idem homo qui ds est; Omittat nestorius hominem tantum
dicere ex uirgine natum; et hunc a uerbo dni non in unitatem personae;
sed in societatem inseparabilem esse receptum; Alioquin non unum
xpm uerum dm et hominem sed duos; quod dici nefas est adserere. ac per
hoc non trinitatem sed quaternitatem praedicare conuincitur; Catho
lica autem fides sicut unum quemlibet hominem carnem et animam;
Ita hominem et uerbum unum xpm rectissime confitetur; Iuxta
quod et angeli uerba significant quae dandam illi a dno sedem patris eius
dd asseuerant;